QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS VIII. MARTII.
M. FRANCISCO PIIART, Doctore Medico, Moderatore.

731

An rea senij præfestinati Venus ?



VO sunt quæ corpus nostrum fulciunt, vitamque conseruant actuentur; calor natiuus & humor innati caloris substantia, quorum alter alterius adminiculo opus habet. Humidum pabulum est fomentúmque caloris. Calor illius beneficio ac munere subsistit. Quæ duo spiritu vndique perfusa ac connexa in omne corpus dimanant ac diffunduntur. Horum nutu corporis viuentis naturalis œconomia regitur. Calor natiuus coquit, disgregat, sanguificat, distribuit, auget, saginat, recrementa explodit, infensum sibi morborum agmen conterit atque fugat; omnium partium substantiam rigat: In principibus tamen copiosiùs luxuriat. Quæ viuunt, & non viuentes, velut vngues, capillos, humores, lac, adipem, & cæteras irradiat, imminentémque aliàs ipsis putredinem arcet: huius copiâ vel inopiâ vita diuturnior aut breuior, magis procera vel humilis censetur corporis moles & statura: hinc Mauri, Indi & qui habitant in æstuosis locis, homunciones fermè & pumiliones, atque contrà. Sed proh dolor! εὐκρασία constat tam exquisitâ & ad vitæ primordia tam apprimè compositâ, vt cùm viuens ex alimentis quantumuis εὐχύμοις, εὐπέπτοις, καὶ εὐτροφωτάτοις æquale nihil valeat resarcire, inuitùs præceps in interitum ætatum vicissitudine deuoluitur.



VAM semel elapsi sumus ætatem neutiquàm remetimur; igneus ille vitæ vigor, dum insignes in humido mutationes subit, imprimis copiosissimus, sed humore fatiscens piger, lentæ pueritiæ ebria vestigia dirigit: Exinde defæcatior, ætatem secundam exerens decenti corpus exornat magnitudine; & pòst à calido humido in frigidum siccum dum fit transitus, æquissima temperies existit. Mox viriles annos exercet, & tandem senectuti succumbens tenues in auras euanescit. Temperamenta animi & corporis vehementiores motus, graue quietis veternum, ciborum & vini fœda & ferox ingluuies, habitationis dispositio ad Austrum vergens, sola pestis origo, morbi, Venus, naturalem ætatum ἐγκυκλοπαιδείαν euertunt: hinc præcox & præmatura, intolerabiles in iuuentute senectutis morbos, Apoplexiam, Paralysin, Nephritidem, Arthritidem, Herniam parit.



ATVRA quæ viuentis magnam in se curam gerit, specierum maximam; vt omnem interitus aleam subterfugiat, in plantis vt sementem eliciat, sæpiùs interimit genitorem. In brutis vitæ breuitatem fœtuũ fœcunditate cõpensauit. Præuidit τὰ ὀχευτικὰ καὶ πολύσπερμα æquo pede in interitũ atq; in Venerem ruere, τὰ ζῶα ἄλογα coitum, voluptatis œstro percita, sectantur auidissimè. Homo verò animal λογικὸν ad sapientiam natum, matrimonij compede solutum, ieiunè parcéque coëat. quantum enim corpus debilitatur coitu, quàm connata alimenti defraudatur substantia, quot spirituum influentium iacturam experitur, quisquis in seipso languentem ventriculi coctricem persentiscit: ructus ex cruditatis saburrâ orti crepant: pulsus exinanitur & rarescit. Effœta vis animæ in melancholiam vergit. Trium enim spirituum consentiens effluxus, ad vim formatricem quàm necessarius, vnà cum voluptate, quæ cor dilatando fugat calorem & spiritus, adeò corpus exhauriunt & refrigerant, vt timore statim & perseuerante aliquantulùm tristitiâ, prosternatur. Imò vis illa violenta, quæ vniuersum corpus concutit, vt ex illo semen, velut ex arctato vinum torculari exprimat, dùm neruos omnes robustè intendit, ita ipsorum tonum destruit, vt deinde humorum frigidorum fiant receptacula, & pro tempestatum mutatione, doloribus, qui periodicè affligunt, subjaceant: hinc ferè Ischiadicorum affectuum & Arthritidis prima labes & origo.



CTVS venerei scopus est seminis eiaculatio, quæ vt generationis sic voluptatis instrumentum. Hæc duo præ se fert virtutem, scilicet fœtus architectricem, & vitæ ipsius duo principia. Solus verò genitor spiritus materiam figurat, quam ritè concinnatam, Deus informat. Idem spiritus materiam mox in viuente coquit, assimilat & fit nutritionis atque omnium actionum opifex; vitam denique cùm solus stabiliat, ipsius filum occat, si deficiat. Vnde igitur spiritus ipsius origo? ab ipsa patris calidi innati portione, quæ pars si remansisset in generante, vitæ ipsius finem remorata fuisset.



RGO qui vitam amat, amet pudicitiam: cœlibatum colat: à venere abstineat: non magis sanat pituitosos morbos, hystericos, ictericos, quàm ea omnia quæ calorem in corpore possunt excitare & menses proritare, qui motum lunæ non sequuntur. Continentes vitæ longitudine pro continentia compensantur & multis senectutis morbis facilè defunguntur. Νεόγαμοι, qui falsò putantur impotentes fieri nodoso artificioso, de proprio, quod aiunt, corio ludentes, ita breui tempore marcescunt, *ossa atque pellis sum misera macritudine*, vt aut rura petere cogantur, aut Viperæ & Echini instar coëuntes intereant. Superest igitur vt in actione venerea omninò robur dissoluatur corporis, quod posteà fatiscens, fluxionum & morborum omne genus admittit: Hinc consumptio & exsiccatio ἀνάλωσις humidi illius aërei, pinguis & oleosi, cuius penuriâ excrementorum prouentus, temperamentorum ætatum subitæ mutationes, & tandem senium.

Ergo rea senij præfestinati Venus? 177



Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS CHRISTIANVS, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.